In Nomine patris et filii et sps sci. Ego Otto dei gratia abbas Werthinensis monasterii. Notum esse uolumus omnibus fidelibus nostris, presentibus scilicet et futuris, qualiter quidam liberæ conditionis nomine Alfricus cum consensu et uoluntate patris et matris predium, quod habuit in Langonbůkheim, ad altare tradidit sci Livdgeri confessoris. Quo facto seipsum etiam sco Livdgero in proprietatem contulit et in ius ministrorum nostrorum receptus id ipsum predium a nobis in beneficium recepit. Cui etiam mansum unum in Hertenen V sol persolventem, quoadusque uiuat, concessimus et generis eius filiorum uel filiarum successioni de generatione in generationem. Si autem ipse prefatus Alfricus absque liberis mortuus fuerit et mater eius Æuekin superstes remanserit, in ius monasterii nostri transeat et supradicta conditione in omnibus libere perfruatur. Facta est uero huius traditionis confirmatio in Bůkheim in placito Meinrici, Euerhardo aduocato ad usus ecclesiæ accipiente testibus infra scriptis, quorum hec sunt nomina. Adolfus. Meinboldus. Liudolfus. Bertoldus. Helith.

Adalbero. Wezzil. Hazzeko. Reginhere. Godefridus. Benzo. Liuzo. Hugo. Lutheuuig. Æzzelin. Vniko. Euerhard. Bernhard. Sigefrid. Liudbertus.

Pr 1 fol. 37b.

117. Der Custos Adalwig hat ein Grundstück erworben und überläßt es gegen eine jährliche Abgabe von zwei Schilling einem gewissen Tido und seiner Frau Azela, mit der Bestimmung, daß die nach ihrem Tode darauf sitzenden vier Schilling zu zahlen haben.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Notum esse uolumus omnibus S. Liudgeri confessoris fidelibus, qualiter ego Adalvvigus custos altaris monasterii Werthinensis predium quoddam in [Herrcho], quod IIII solidos ualet, sancto Liudgero adquisiui, quod cuidam Tidoni et uxori suæ Azelæ sub censu duorum solidorum dedi, hac scilicet interposita ratione ut, quamdiu ipsi superuixeriunt, duos solidos inde persoluant, post mortem uero illorum quicumque hoc predium inhabitauerint, IIII solidos pleniter inde persoluant. Qui predictus Tido prius sub beneficio Hazakonis erat, sed restitutione alterius mancipii eum ab eo redemi et ad altare S. Liudgeri transtuli. Facta est hæc donatio et traditio sub abbate Ottone in Trotmanne, Herrado ad manum aduocati Euerhardi accipiente. et hi sunt testes Berthmunt. Gerbraht. Hugo. Alfhard. Kŏkker. Azelin. Aneko. Godeskalk. Godefridus. Azzo et Azzo. Azekin. Redfridus.

Nach dem Original im Düsseldorfer Staatsarchiv. Uebrigens ist die Stelle, auf welcher der Name des Gutes stand, radiert und später „herrche“ dafür eingesetzt.

118. Der Propst Gere entläßt eine zu dem Oberhofe Fivhvson (Viehausen) Hörige aus der Dienstbarkeit, damit sie sich mit einem freien Manne, Namens Azzelinus, verheiraten könne. Dafür macht dieser seine Hufe in Berghuson (Bergerhausen) dem Altare des h. Liudger zinsbar.

Facta est autem hæc conuentio uenerandi abbatis temporibus Oddonis, Gere preposituram simul et altaris custodiam tenente, villico eius Ebbe hoc concambium perficiente. Testes: Liudolfus. Bertoldus. Heleith. Vuamboldus. Thiedricus. Gisekin. Ebbe. Benzo. Godefridus. Benno.

Lacomblet bemerkt, der in der Urkunde genannte Abt könne nach den Schriftzügen derselben nicht wol jener Odo sein, der am Schluß des 9. Jahrhunderts diese Würde bekleidete. Daß dieselbe hierher gehört, beweisen schon die Namen der Zeugen; vgl. 112 u. 116.

Lac I 266.

119. Der Abt Otto bestimmt, daß sein Gedächtnis jährlich durch die Gebete der Brüder und Almosen begangen werde. Jenen soll dabei eine reichliche Erquickung, den Knaben aber ein größeres Brot gereicht werden. Außerdem verordnet derselbe, daß man die Aposteltage künftighin noch feierlicher und würdiger begehe, indem den Brüdern eine entsprechende Erquickung in Brot und Wein gegeben werde. Zur Bestreitung dieses Aufwandes und der Unterhaltung der Lichter an seinem Grabe weist er seinen Hof in Honsuerte und einige Hufen in Frimeresheim an.

Priuilegium Ottonis abbatis de anniversario suo.

In Nomine scæ et indiuiduæ trinitatis. Piæ et semper in Xpo recordandæ memoriæ pius Otto abbas, plus spiritualibus quam carnalibus rationem mentis semper accommodans et ideo firmam domum supra firmam petram prudenter sibi ediffîcare desiderans, cum consideraret quia longam non habet licentiam uita mortalium et quia longo non durat tempore super terram memoria defunctorum, illud clare intuens quia opera pietatis et misericordiæ interminabilem fructum habent æternæ in cælo memoriæ, iuxta modum a deo concessæ sibi facultatis contulit se ad studia misericordiæ et pietatis, consulens quidem caritati fratrum temporaliter et accumulans sibi premia futuræ beatitudinis æternaliter. Statuit igitur diem suæ dormitionis in Xpo per singulos annos frequentari uotiuis fratrum orationibus et elemosinis, quibus etiam in ipso die in pane et uino et pisce plenissimam administrari precepit caritatem refectionis, addens huic tam piæ donationi nocturni luminaris continuationem subministrari in eo uidelicet loco, ubi ipse uiuus decreuerat se mortuum sepulchrari. Insuper uero iuxta suæ largitatis bonitatem puerorum adaugeri precepit panem, in quarta scilicet sua parte quam prius esset maiorem, per XV maldaria tritici ad expletionem si X sint pueri. Post ordinatam et tam pie compositam huius benignitatis traditionem conuertit se ad sanctorum apostolorum dignissimam uenerationem, ad quam dignius et sollempnius apud nos quam prius celebrandam in eorum singulorum nataliciis prouidit fratribus in pane et uino congruam exhibitionem refectionis. Et ut hec piæ uoluntatis eius traditio apud successores suos stabilis in posterum et firma perduret, de curti sua in Honsuerte, quam pie respectu huius donationis ipse acquisierat, in die sui anniuersarii tam in eulogio fratrum quam in stipendiis pauperum et in augendo pane puerorum II talenta persolui constituit. Ex quibus XXV sol in eulogio fratrum et elemosinis pauperum, XV uero qui supersunt

in XV maldariis tritici puerorum distribuantur. Ad conquirenda uero luminaria et ad concelebranda ut dictum est sanctorum apostolorum sollempnia dedit ipse ultra Renum in Frimeresheim mansum Boldonis, persoluentem IIII soł et IIII bracia tritici et II m̊ pisarum, nec non et alterum dimidium mansum alterius Baldonis, persoluentem XXX m̊ tritici. Insuper uero V bracia tritici ex eadem uilla. His omnibus ad uotum suum ita compositis et ordinatis huius testimonii cartam subnotari precepit et in capitulo cunctis fratribus regulariter contradidit.

Pr 1 fol. 34.

XXI. Als Nachfolger Ottos führen die Register Adolf [1]) von Berg und Rudolf von Helfenstein auf, von denen der erstere nicht ganz ein Jahr, der andere bis 1113 der Abtei vorgestanden haben soll. Allein in einer Urkunde des folgenden Abtes Liudbert gibt dieser selbst Otto und zwei Rudolfe als seine Vorgänger an (vgl. unten Nr. 125) und in der Aufzeichnung über die Capelle in Asterlo (vgl. Nr. 121) wird durch den Zusatz zu dem Namen des Abtes Rudolf „nemlich den in Biege geborenen“ bewiesen, daß zwei dieses Namens unmittelbar hinter einander oder doch kurz aufeinander regiert haben müßen. Unter diesen Umständen muß man annehmen, daß Adolf ganz aus der Reihe der Äbte zu streichen ist, oder daß er an eine andere Stelle gesetzt werden muß.

Eine Aufzeichnung in Pr 2 fol. 26ᵃ.

120. „Notum sit omnibus fidelibus tam futuris quam presentibus quod piæ memoriæ Gerardus prepositus mansum quendam comparauit, unde permissione uenerabilis abbatis nostri Adolfi tali ordine seruiri disposuit. In Assumptione Scæ dei genitricis Mariæ et in Natiuitate nec non in Purificatione et Annunciatione simul et Conceptione tres pauperes colligi et in honorem dei et genitricis eius cum pertinenciis ad diem pie illis ministrari. Luminare etiam unius denariatæ ad unam quamque festiuitatem ordinauit incendi. Simili modo in Inuentione sanctæ crucis et Exaltatione V pauperibus ob recordationem V uulnerum domini ministrari constituit. Candelam uero ad utramque festiuitatem in medio monasterio ante crucem duorum denariorum poni uoluit, ut a uigilia usque post sequentis diei uesperas durare possit“ soll sich auf Adolf, den Nachfolger Ottos, beziehen (eine spätere Hand schrieb 1105 an den Rand); allein es steht nichts im Wege

---

1) Einige nennen ihn Adolf II, indem sie den ersten Abt Andulf als Adolf I gelten lassen.

hierbei an den Abt Adolf II (III) zu denken, dessen Regierungszeit in die Jahre 1160—1174 gesetzt wird, um so mehr da gerade unter diesem Abte auch ein Propst Gerhard genannt wird.

121. Die Kapelle in Asterlo, von dem Werdener Propst wieder erbaut und dotiert, wurde von Alfwin Bischof von Merseburg (1097—1112) eingeweiht. Es geschah dieß unter Abt Otto. Zur Unterhaltung der Lichter wurde auf Bitten des Propstes Wichmann von Abt Rudolf (und zwar von dem aus Biege stammenden) eine Hufe in Krinfeld bestimmt, welche der Edelherr Liudbert mit seinem Sohne Godefrid dem Kloster geschenkt hatte. Nach Overhams handschriftlicher Geschichte von Werden hat Wichmann selbst noch unter Otto die Kapelle erbauen laßen; zwar geht dieß aus der folgenden Aufzeichnung nicht hervor, doch wäre es immerhin möglich, daß Wichmann unter mehreren Äbten die Propstwürde bekleidete.

Gracia dei et pii Ottonis abbatis dispositione. Ad capellam prepositi in Asterlo ab ipso preposito reconstructam dedicatam et dotatam prebenda fratrum consecrante licentia archiepiscopi Coloniensis Herimanni bonæ memoriæ Alfuuino Mersburgense episcopo hec pertinent. De Embrike V soł. De eadem uilla XXX den. De Winkilhuson I soł de decimis. De Suafheim II soł. De Dapmurse [siue Hagen] VI soł. De Winkilhuson per Liudolfum II soł. Que omnia, sicut ab inicio constitutum est, in tali custodia ipse prepositus habet, ut per uillicum suum annuatim super altare istius capelle XVIII soł ponat, ut presbiter ecclesiæ Embrike, que etiam ad preposituram pertinet, ibi accipiat et missam cum omnibus horis diuinis bene ibi et deuote diebus omnibus agat. prepositus autem per uillicum suum omne edificium et custodiam eius in eadem capella prouideat et quicquid ibi necesse est excepto luminari quod ipse prepositus omni nocte ibi prouidebit de manso quodam in Kr(e)infelde III soł. soluente, qui mansus olim per Liudbertum nobilem uirum cum filiolo suo Godefrido sco Liudgero oblatus est et isti capellæ per Ruotholfum piæ memoriæ abbatem illum uidelicet de Biege natum piissime assignatus est ad predictum luminare inpetrantibus huius pietatis obtinentiam Wigmanno preposito cum Liudolfo uillico suo. Quorum animæ cum omnibus fidelibus defunctis requiescant in pace. Amen.

Pr 2 fol. 24ᵃ.

122. Abt Rudolf ordnet an, daß bei seinem Jahresgedächtnis an allen Altären Wachskerzen angezündet werden, daß man den Brüdern eine recht reichliche Erquickung in Brot, frischen Fischen

und mildem edelem Weine reiche und die von allerwärts zuströmenden Armen mit freigebiger Hand und mildem Sinne pflege. Zu diesem Zwecke erkauft er von einem gewissen Gerhard ein Gut in Widehowe. (Im Kalendarium necrologicum Werdinense bei Böhmer Fontes III. S. 389 ist der Todestag dieses Abtes Rudolf auf 9. April gesetzt: XX Kal. mai. Rutholfus abbas. Iste contulit ecclesie curtim in Widehove.)

Priuilegium de anniuersario Rutholfi abbatis.

In Nomine sanctæ et indiuiduæ trinitatis Considerans et perpendens digne memoriæ abbas Rvtholfvs, quam salubre sit elemosinas statuere et in longum prouidere Xpi pauperibus, statuit vt in suo semper anniuersario cerea luminaria ad omnia altaria incendantur deuotissimo studio, largissima fratribus amministretur panis et nouorum piscium uinique lenis et generosi refectio, pauperum quoque omnium undecumque aduenientium cura agatur larga manu et hilari animo et celebris sit eius memoria et in dei et in hominum gratia. Predium uero, quod huic piissimæ eius institutioni inposterum seruire debeat, non modico labore quesierat. Erat enim quidam probus uir Gerhardus, sub ministeriali iure ad scm Livdgervm pertinens et pulchrum olim beneficium, quod XXX solidos persolueret, in Widehowe habens, qui ad tantam paupertatem, sicut plerumque bonis contingere solet, deuenit, quod pene omne illud beneficium pro prestita pecunia posuit et tam inops et egenus permansit. Victus tandem egestate molestissima abbatem cum amicis suis adiit, offerens sibi idem beneficium: immo multis sibi precibus instans, ut a se illud emeret cum aliqua gratia. Qui dudum habens in animo hoc statuere, quod dictum est in inicio, amicorum consilium et auxilium circumquaque quesiuit et dans ei VIII marcas et bonum ambulatorem et multa insuper suæ necessitati succurrentia et aliud beneficium in Osteruuic VIII sol persoluens, dans et magnam pecuniam illis quibus positum in uadimonio fuit, libere et sine alicuius contradictione beneficium Gerhardi in Widehouuen cum omnibus, que ad illud pertinent, de manu eius suscepit, astantibus et uidentibus hec omnia testibus istis. Adaluuigo decano et custode. aliisque fratribus. Bertoldo. Wolfario. Bernhardo. Godefrido. Adolfo. Euerhardo dapifero. Thiedmaro fratre eius. Bernhardo. Godefrido. Bertoldo. Werinberto. Bertoldo. Hartberto. Dudone. Sigeberto. Hemikone. Vbbone puero. Bertoldo. Euerhardo. Liudfrido. Gerlago. multisque aliis. Conuocatis igitur ad ultimum abbas omnibus fratribus suis cum manu aduocati Adolfi sepe dictum beneficium ad celebranda, que superius dicta sunt, regulariter et legaliter tradidit,

astante et fauente non solum ipso Gerhardo, uerum etiam omnibus domesticis suis cum multis aliis qui tunc aderant nobilibus uiris. Sigefrido. Huboldo. filio eius cum fratre suo. Thuringo. Rûtgero. Adalberto. Gerberto. Liudolfo. Baldrico. Herimanno de Wanelo. Godefrido de Werbe. Thiedboldo de Rehgethe cum fratre suo. multisque nobilibus cum ministris predicti aduocati.

Pr 1 fol. 35[b.] und 36[c.]

Ich laße einige Aufzeichnungen folgen, welche die Amtsführung des Propstes Wichmann betreffen.

123. Ein zum Hof Halingringhuson Höriger heiratete eine Freie, Namens Hidda. Diese schenkte ein kleines Gut in Hutlere unter der Bedingung, daß sie als Precarie zwanzig Scheffel Gerste von der Hufe ihres Mannes Ezelin erhalte und von dem geschenkten Gütchen nur acht Scheffel Gerste entrichte. Nach ihrem Tode solle alles an das Kloster fallen.

Notum sit, quod quidam curtis Halingringhuson adduxit uxorem Hidda liberam, quæ curti dedit prediolum quoddam in Hutlere a sua proprietate in proprietate sci Livdgeri, ea conditione ut imprecarium reciperet XX m̊ hordei a manso uiri sui Ezelini, quamdiu uiueret, et a prediolo dicto, quamuis plus posset, octo tantum modios hordei solueret, quamdiu uiueret. postea et mansi et predioli omnis utilitas monasterii esset. Facta sunt hæc sub preposito Wigmanno, sub uillico Hezelino, coram omni familia curtis et multis aliis.

Dieselbe Hand hat noch folgende Notiz ohne Zeitangabe eingetragen:

Qvedam Mulier cum esset libera, tradidit se in prepossituram cum tribus filiabus Hemmica Wennica Mazzeca, ea conditione ut nunquam plus nisi duos denarios et nemini nisi preposito uel eius nuntio persoluerent.

Pr 2 fol. 5[b.]

124. Ein Freier Welthe übergab zur Zeit des Abtes Adalwig und des Propstes Sigfrid sich mit seiner Hufe zu Stenrapan an die Propstei von Werden. Der Propst überließ das Grundstück dem Hofe der Abtei in Heldringhausen und erhielt dafür im Tausch eine Hufe zu Sutherwik. Das letztere ertheilte er einem gewissen Benno, der zu diesem Zwecke aus seiner Hörigkeit als Litus entlaßen war, zum Lehen, mit der Verpflichtung, Aufträge des Proptes an dessen Höfe in Ihthere und Elvetre zu besorgen.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Notum sit et in perpetuum memorie maneat cunctis Xi et sci Liudgeri fidelibus, qualiter quidam libere conditionis uir, Welthe nomine, sub uenerabili

Adalvigo cenobii Werdinensis abbate, tempore Segefridi prepositi, semetipsum et quendam proprie hereditatis suæ mansum in Stenrapan sco Ludgero in preposituram tradidit, eo quidem pacto ut quamdiu uiueret precario iure prebendam in hospicio prepositi haberet. Set prefatus prepositus, qui hanc fecerat conuentionem, sibi et fratribus suis in hoc utiliter prouidere uolens, eundem mansum, quem libere suscepit et libere possedit, in curtim fratrum in Helenrenchuson concambiendo transtulit et alium mansum in Svtherwik, IIII mod siliginis minus soluentem, quos pro seruitio istius quem concambiuit computauit, inde recepit. Mansus igitur iste quod satis commode situs erat fratribus Mimigardeforden euntibus et quia prepositus in illius partibus legatis sepius indiguit, quos minime habere potuit, eundem mansum cuidam Bennoni, litica prius seruitute soluto et legitimo seruientium iure sublimato, in beneficium concessit, ita quidem ut prepositi legationem et ad Ihthere et ad Eluetre uel alias quocunque in illis partibus indigeret deferret, et fratribus in eodem manso si necesse esset per noctem necessaria prouideret et cum eis ad prenominatum locum pergeret. Hic postea quandam libere conditionis mulierem Thidekin nomine sortitus est in uxorem, que se respectu beneficii quod uir eius possederat sco Liudgero in preposituram iure quidem legitimo seruientum recepto tradidit. Procreatis autem ex se filio et filia defunctus est uir tempore Wigmanni prepositi. Et ecce quidam Berengerus unus ex propositure seruientibus filiam illorum adamando in uxorem ducere uoluit. Cuius uero mater et frater puellæ consentientes iuris quicquid beneficialis in hoc manso habere debebant preposito Wigmanno, ut uiro prefato et uxori eius in beneficium concederetur, reddebant. Post non multum uero temporis mater ambobus filiis orbata, prefatus Berengerus aliam iterum quandam libere conditionis mulierem Adalburgam nomine duxit uxorem: que ut idem bonum cum uiro in beneficium susciperet, simili modo se in preposituram iure seruientum recepto dedit. et id est totum factum consensu prefate mulieris Thiedekene, ita quidem ut certum uictum in hoc beneficio haberet quamdiu uiueret. Huius uerissimi testimonii testes hii sunt Adaluigus decanus. Vdo cellerarius. Euerhardus dapifer. Hartbertus de Cothuson. Godefridus diues. Godefridus maritus Thiedsuithe. Sigebertus de Wattenschethe. Liudfridus filius Gisekini. Brun. Æthelgis et alii plures libere conditionis uiri, qui cum muliere hac causa conuentionis huius uenerant et insuper quam plures alii boni testimonii uiri. Pax et misericordia dei sit omnibus hanc cartam legentibus et affirmantibus,

dei autem uindicta et omnium suorum offensio sit super os eius quoquo modo infringere temptantibus. Amen.

XXII. Von 1113—1120 soll Liudbert als 26. Abt das Kloster verwaltet haben. Er kommt 1115 und 1119 in Urkunden vor. Im letzteren Jahre hat er sich in Helmstedt ein Anniversar gestiftet.

125. 1115. Abt Liudbert hat den Hof Dale, welchen Thuringus schon unter seinen Vorgängern geschenkt und als Precarie zurückerhalten (bona precarii nostri in Dale. que tres antecessores nostri. in primis pius Otto. deinde uterque Rutholfus ecclesiæ nostræ acquirebant), von Thuringus zur unumschränkten Verfügung erworben. Er stiftet daraus für sich ein Anniversar, für dessen Ausführung der Kellner (zur Zeit der Stiftung Godefridus) zu sorgen hat. Es sollen nämlich bei seinem Jahresgedächtnis an allen Altären Wachslichter brennen, die Brüder und Cleriker sollen eine reichliche Erquickung (refectio) an schönem Brot, guten Fischen und trefflichem Wein erhalten, die Armen, die von allen Seiten zuströmen, mit freigebiger Hand und mildem Sinne verpflegt werden, damit sein Andenken gefeiert sei in Gottes und der Menschen Gunst. In dem Fenster aber, welches er neben seinem Grabmal hat machen laßen, soll in jeder Nacht ein Licht brennen zu seiner und seiner drei Vorgänger Gedächtnis.

Als Zeugen der 1115 ausgestellten Urkunde werden aufgeführt: Adolfus aduocatus noster, Euerhardus frater eius, Bernherus comes, domnus Heribertus, Gerhardus, Lambertus de Hauekeshurst, Immo, Cunradus et nepos eius. Cunradus, Rulant, Adolf Coluo. Ministeriales quoque S. Liudgeri. Euerhardus dapifer. Thiedmarus. Godefridus. Bertoldus. Dudo. Ricbreth. Sigebrecht. Ubbe. Godescalc. Bernhard. Euerhard. Lambreth. Werinbertus. Hartbertus. Beringerus. et pene omnes.

Pr 1 fol. 36. Lac IV 617. Erh Reg. I S. 224.

XXIII. Liudberts Nachfolger Berengoz regierte nach den Registern von 1120—1125.

126. 1122, 27. Mai. Kaiser Heinrich V. stellt das von seinem Großvater geschenkte, von dem Grafen Rûtbert und dessen Gemahlin Ermenthrud aber schon längere Zeit gewaltsam in Besitz genommene Allod in der Villa Eitera, zwischen Rhein, Leck und Issel gelegen (quod situm est inter hos fluuios. Renum et Leccam. Leccam et Islam), dem Kloster zurück. Dat. VI. Kal. Jun. M. C. XXII. Indictione XV. Anno autem regni domni Heinrici XXIII. Imperii vero XII. Actum Traiecti.

Lac I 295. Pr 1 fol. 25b. und 26a. (hier wird der Abt Berengotus genannt, während im Original Berengozus steht).

127. 1124. Abt Beringoz hat von den Brüdern Godefrid und Heremann zwei Mansus in Threttethe gekauft. Einen derselben schenkt er den Brüdern, damit sie bei seinen Lebzeiten am Tage des h. Bonifacius, nach seinem Tode bei seinem Jahresgedächtnis für ihn die Messe halten.

In nomine scæ et indiuiduæ trinitatis. Beringozus dei gratia Werdinensis abbas. Quia scriptum est „date elemosinam et ecce omnia munda sunt uobis", ideo notum esse cupio fidelibus Christi tam presentibus quam futuris, qualiter a Godefrido et fratre eius Heremanno duos mansus in uilla, quæ uocatur Threttethe, quatuor talentis emi, de quibus unum fratribus hic deo famulantibus pro remedio animæ meæ contuli, ea uidelicet conditione, ut in festiuitate sci Bonifacii martyris in memoriam mei quamdia uixero karitatem inde habeant et eadem die ubicumque sim priorem missam pro me celebrare studeant, post obitum uero meam in anniuersario meo eandem karitatem habeant, et uigiliis et missarum oblationibus sed et commendatione animarum animam meam deo attentius commendare satagant.

Acta sunt hæc anno dominicæ incarnat. M. C. XXIIII. indictione II. regnante Heinrico V rege et IIII imperatore. sub aduocato huius loci Liudgero duce. Isti autem sunt testes qui hæc uiderunt et audierunt. Gerhardus scilicet et Heremannus capellani abbatis. Euerhardus etiam. Irinfridus. Sigebertus. Vbbo. Sigefridus. Godefridus. ministeriales sci Livdgeri de werthina. de Helmenstede uero Sigebertus et Heremannus filius eius. Regenhardus et Arnoldus filius eius. Liudolfus et Godefridus frater eius. Eluericus etiam. Marcuuardus et Gerhardus ministeriales eque sci Livdgeri.

Original im Staatsarchiv zu Düsseldorf.

XXIV. Der folgende Abt Bernhard soll bis 1138 nach andern bis 1140 oder 1141 regiert haben. Als Zeuge kommt er 1129, 10. Febr., in einer Urkunde König Lothars vor (Lac I 304).

128. Von ihm selbst ist eine interessante Urkunde vorhanden (Lac I 317). Nach derselben gibt Bernhard einem frommen Manne Heinrich Güter in dem Paderbörnischen (quidam bona nostra in Patherburnensi parrochia posita), nemlich seinen Besitz (territorium nostrum) in Holthuson oder Egesterenstein, nicht als Lehen, sondern in Villication, unter der Bedingung, dem Abte von Werden jährlich zweimal — auf seiner Reise von Werden nach Helmstedt und zurück — sowie den Mönch, welchen dieser etwa zum Messelesen

bei sich führen werde, zu verpflegen, auch dessen hin- und hergehende Boten aufzunehmen. (Die Zeugen sind: Godefridus prepositus, Lambertus cantor, Anno camerarius, Gerhardus frater, cum ministerialibus ecclesiæ sancti Livdgeri Euerhardo aduocato et dapifero, Erenfrido, Bernhardo, Gerlago, alio Euerhardo, Helia, Reinbodone, Seberto, Wigboldo).

Es werden in dieser Urkunde die berühmten Externsteine erwähnt; diese selbst waren übrigens nicht im Besitze der Abtei Werden, sondern gehörten dem Kloster Abdinghof in Paderborn. Der Name derselben ist nur hinzugefügt, um das erwähnte Holthuson von den vielen gleichnamigen Orten zu unterscheiden. Vgl. Giefers in Zeitschr. f. vaterländ. Geschichte und Alterthumskunde (3. Folge.) VII, 1. S. 10 ff. Aus einer von ihm (das. S. 100) mitgetheilten Urkunde v. J. 1093 ersehen wir, daß um die Mitte des 11. Jahrh. die Gegend auf beiden Seiten des Osning rings um die Externsteine herum, nemlich die Orte Colstide (Colstädt), Holthûson superius & inferius (Ober- und Niederholzhausen) einem Manne aus edelem Geschlechte angehörte. Dessen drei Söhne theilten sich nach dem Tode des Vaters in die Erbschaft: der erste schenkte sein Loß Colstädt an den Dom in Paderborn, der zweite gab das ihm zugefallene Oberholzhausen an Werden — und damit sie zu diesen Schenkungen die Genehmigung des dritten Bruders, Namens Imiko, erhielten, überließen beide demselben von ihrem Antheil „den Agisternstein in dem nahen Walde mit allem Grund und Boden, welche von der Spitze dieses Felsens bis zur Feldmark von Niederholzhausen und dem benachbarten Horn sich erstreckten.“ So besaß Imiko und nach dessen Tode sein Sohn Erpho Niederholzhausen mit den Externsteinen. Als Erpho frühe starb, verkaufte seine Mutter Ida als Erbin mit Zustimmung ihrer Tochter Witsuit und ihres Schwiegersohnes Eberhard von Veltheim den ganzen Besitz für vierzehn Mark Silber und andere Geschenke an Gumbert, Abt des Klosters Abdinghof in Paderborn. Die Bestätigungs-Urkunde des Bischofs Heinrichs II. von Paderborn vom Jahre 1093 ist an der oben erwähnten Stelle von Giefers mitgetheilt.

129. Ein gewisser Thiedericus übergibt unter Abt Bernhard sein Allod in Tunteleshem an den Altar des h. Liudger, unter der Bedingung, daß sein Sohn Everwin es gegen eine jährliche Abgabe von sechs Denaren erhalte und, wenn er eine zum Altar hörige Gattin heirate, an eins seiner Kinder vererben dürfe: anderesfalls solle er es

verlieren, der Vater dagegen das Recht haben, dasselbe noch auf Lebenszeit gegen obige Abgabe zu behalten.

In nomine scæ et indiuidue trinitatis. Notum sit cunctis Xpi fidelibus tam futuris quam presentibus, quomodo quidam uir, nomine Thiedericus, ad altaris censum Sci Lvidgeri genitus, quoddam allodium, quod iacet in Tunteleshem, cum omnibus appendiciis suis, agris uidelicet cultis & incultis, pascuis, pratis, siluis, aquis, aquarumue decursibus ad altare Sci LIVDGERI tradidit. Ipse enim dum nullum sub possessione ecclesiæ haberet heredem et tamen filium suum Eueruuinum licet a se alienum sub aliqua gratia hereditare desideraret, supradictum allodium hac conditione ad altare Sci LIVDGERI tradidit, ut idem filius suus Eueruuinus de manu custodis illud ad inhabitandum susciperet, VI denarios inde annuatim persolueret et si uxorem pertinentem ad altare cum licentia duceret, etiam uni filiorum suorum uel filiarum sub eadem gratia post mortem suam relinqueret; si uero alienam duceret, etiam ipso uiuente supradictum allodium omnino perderet, pater uero quamdiu uiueret usui suo sub eodem censu reseruaret. Facta est traditio hec coram altari Sci LIVDGERI sub abbate Bernhardo custode Lamberto coram his testibus. Athelgis. Bertrammus. Vbbo. Reinzeko. filius eius W(i)ezzel. Hemmo. Hazzako. Bernhardus.

Original im Staatsarchiv zu Düsseldorf.

XXV. Wie über das Todesjahr von Abt Bernhard, so lauten auch über seinen Nachfolger die Angaben verschieden. Nach den gewöhnlichen Registern werden zunächst hinter ihm Werinbert II. (bis 1143 oder 1146) und Volmar (1144 oder 1147) aufgeführt; beide sind urkundlich bis jetzt nicht nachgewiesen worden. Darum hat man auch schon frühe angenommen, daß Abt Lambert, welchen die Register von 1144 (1147) bis 1152 ansetzen, unmittelbar auf Bernhard gefolgt sei. Vergl. Mabillon Annales Ordinis S. Benedicti. Tom. VI, S. 334.

Abt Lambert kommt bereits 1145 als Zeuge in einer Urkunde K. Konrads III. vor, welche in Werden selbst ausgestellt wurde und den Anbau in Duisburg betrifft. (Lac I 353)[1]).

---

[1]) Zum Jahre 1146 berichten die Annales Ordinis S. Benedicti v. Mabillon (Tom VI S. 412): Eo tempore quo pulsis e Keminada sanctimonialibus earum monasterium in præposituram sub monasterio Corbeiensi est redactum aliud pro virginibus in ducatu Clivensi sub Worthinensis abbatis patrocinio excitatum est, quod Hagenbusch seu Campus-Cervorum nomen accepit. Præerat tum Werthinæ Lambertus abbas.

Zwei Jahre später (s. d. Niumago 17. Oct. 1147) bestätigte ihm K. Konrad III. die Privilegien der Abtei, insbesondere das von K. Konrad II. ertheilte Schifffartsrecht auf der Ruhr und zwar dieses mit der Erweiterung, daß es auch noch über das Kloster hinaus gelten solle. Zugleich macht er bekannt, daß er durch Graf Herimann[1]) die eingelegten Hindernisse habe beseitigen lassen.

(Lac I 358. Pr 1 fol. 26a)

130. 1147. Erzbischof Arnold I. von Köln schenkt der Abtei Werden den Rottzehnten zu Wagenheim (Wanheim) im Kirchspiel Friemersheim [Frimersheim Pr. 1]. Lac I, 362 (aus Gelenii farrag.). Pr 1 fol. 27a. Wanheim hat zum Kirchspiel Friemersheim gehört und wird also damals, wie Lacomblet bemerkt, auf der linken Rheinseite gelegen haben; jetzt liegt es durch Veränderung des Flußlaufes auf der rechten.

131. 1148. Abt Lambert bekundet, daß er von Heinricus de Kastere — mit Zustimmung von seinem Stiefsohn Roricus und unter Mitwirkung von seinem Schwiegersohn Reinhard und dessen Gattin Beatrix — den Hof Angera um 40 Mark gekauft habe. Die Uebergabe fand Statt vor dem Hauptgerichte des Keldagaues zu Kreuzberg (Cruizberg), und es fungierten dabei als Freischeffen (liberi scabini): Niuilungus, Gerhardus de Unna, Bernherus und sein Bruder Godefridus, Roricus, Cunradus de Linepe, Bernhardus de Euerkrothe.

Das Gericht stand damals unter dem Pfalzgrafen Hermann von Stahleck, der es an Hermann von Hardenberg untergeben hatte (factum est hoc anno dominicæ incarnationis M. C. XLVIII. Indictione XI. in placito palatini comitis Herimanni. presidente uice eius comite Herimanno de Hardenberg. qui et in aduocatiam suscepit et nos iure aduocati in hanc possessionem legitime introduxit).

Zeugen: Baldricus de Dumete. Cristianus de Wiuelinghoue et filius eius Adelbero. Heinricus et frater eius Uiuianus. Burchardus de Brueke. Helmuuigus et frater eius Arnoldus. Erenbertus de Mere. Arnoldus de Rothe et frater eius Adelbertus. Harbernus de Helpenstein. Albertus de Elpe Thiedericus et frater eius Gerardus de Ubheim. Egeno de Furendale. Sigebertus. Gerlagus. Philippus de Rechethe et alii plures.

Lac I 364. Pr 1 fol. 36b.

---

1) Graf Hermann von Hardenberg, welcher die Stelle des Pfalzgrafen Hermann von Stahleck vertrat. Vgl. unten 131.

132. 1148. Abt Lambert kauft von Sigebert von Euerekrothe eine Hufe in Selebeke für neun Mark. Die Uebergabe fand Statt vor dem Gerichte zu Kreuzberg, bei dem damals Nivelung an der Stelle seines auf dem Kreuzzug befindlichen Bruders Hermann von Hardenberg den Vorsitz führte.

In nomine Sancte et indiuidue trinitatis.

Ego Lambertus dei gratia Werthinensis abbas noticiæ fidelium tam futurorum quam presentium commendo, qualiter mansum unum cum suis appendiciis in Selebeke legitima emptione adquisitum ecclesiæ usibus delegaui. Sigebertus de Euerekrothe, libere conditionis homo, neptem uxoris suæ nomine Bertam peticione fratrum et amicorum eius regendam et alendam in domo sua suscepit cum hereditatis parte, que sibi inter fratres facta diuisione conuenerat, uidelicet manso uno. Paucis autem interpositis diebus mansum eundem uendere uolens uoluntatem domine et fratrum eius qui contradicere uolebant rationabili conditione suæ uoluntati attraxit. Conditionis autem modus is fuit, ut, si hunc mansum ipse uenderet, de sua hereditate tantundem restitutionis assignaret et testibus confirmaret. Quod ubi actum et confirmatum est, domnus Sigebertus mansum supradictum cum omni sua integritate VIIII. marcis nobis vendidit presente et collaudante Berta, cuius fuerat hereditas, et fratribus eius Heinrico et Viviano ceterisque cognatis et amicis eorum quorum presentiam causa exigebat.

Factum est hoc anno dñi M. C. XLVIII. Crvceberg. in placito comitis Herimanni. presidente uice eius fratre suo Niuulungo de Hardenberg. quem una nobiscum Cůnradus de Linepe uice possessoris qui uendiderat in eandem possessionem iudicio introduxit. Idem autem Niuilungus uice fratris sui Hierosolimam euntis in aduocatiam suscepit.

Huius rei testes sunt. Heinricus. Viuianus. Bernherus de Erperothe. Gerhardus de Vnna. Adalbertus de Elpe. Cůnradus de Linepe. Bernhardus de Euerekrothe. Ministeriales nostri Wezzelinus. Alabrandus. Bertoldus. Ethelgisus. Bertrammus. Lambertus. Godescalcus. Sebertus. Helias et alii plures.

Pr 1 fol. 37[a.] (Kremer Akadem. Beitr. II S. 220).

133. 1150. Abt Lambert erwirbt von dem Edelherren Rǒricus für 90 Mark reines Silber dessen Erbschaft in Bůdberge (Bǒdberge an zwei Stellen), nämlich die Hälfte der Kirche (des Patronats) mit den dazu gehörigen Grundstücken. Der Neffe des Verkäufers Gerhard

erhält ein Pfund Silber, um die Zustimmung zu ertheilen, und die Söhne Rorichs Heinrich und Heribert werden vom Abte (als Ministerialen der Abtei?) aufgenommen. Die feierliche Uebergabe fand Statt im Gerichte des Grafen Adolf von Saffenberg (Adolfi de Saphemberge, so die Urkunde!), vor den freien Scheffen des Gaues (des Ruhr- oder Duisburger Gaues), am Horn (in loco qui dicitur Horna), einer Waldstelle an der Ostseite von Duisburg bei Düssern. Den Grafen Adolf vertrat gleichfalls Hermann von Hardenberg.

Zeugen: Willelmus capellanus. Adolfus cantor. Gerbertus presbiter. Arnoldus clericus. Liberorum autem hominum. Bernherus de Erprothe. et frater eius Godefridus. Erembertus de Mere. Gerardus de Tiuern. Otto de Muntenbrůke. et filius eius Gerardus. Cŏnradus de Linepe et frater eius Alexander. Ministeriales ecclesiæ nostræ. Wezelinus subaduocatus. Erenfridus. Vbbo. Alabrandus et frater eius Bertoldus. Elgis et filii eius Herimannus et Sigefridus.

Lac I 368.

XXVI. Der Nachfolger Lamberts war Wilhelm I. (angeblich aus der Familie der Herren von Moers), er soll von 1152 bis 1160 regiert haben. Von ihm wird bei Mabillon Annales Ordinis S. Benedicti (Tom. VI, S. 412) berichtet, seine Liebe zu den Wißenschaften gehe aus der großen Zahl von Handschriften hervor, welche zu seiner Zeit im Kloster geschrieben wären. Auch habe er die Reliquien von zweien aus der Schar der elftausend Jungfrauen nach Werden bringen laßen (nach Overham im Jahre 1159).

134. 1160. Abt Wilhelm beurkundet, daß sein Ministerial Heinricus de Bardensceide, der eine Hufe von vier Schillingen in Bardensceide, Bodenlen genannt, als Lehen besessen, die Ueberzeugung gewonnen, daß dieselbe zur Dotation der S. Nicolai-Kapelle auf dem Markte gehöre, und sich in Folge dessen verpflichtet habe, jährlich zwei Schillinge an diese Kapelle zu entrichten. Der Abt verleiht ihm dazu ein anderes, angrenzendes Grundstück, das mit etlichen Eichen besetzt ist.

Zeugen: Anno prior et custos. Burchardus. Gerbertus. Guntramus. Iohannes. Herradus presbiteri. Wezelinus dapifer. Euerardus camerarius. Godefridus pincerna. Titmarus marscalcus. Alebrandus. Brun. Sebertus et filius eius Sebertus. Lambertus. Helias. Justacius. Sigefridus. Sigefridus. Godescalcus et frater eius Euerardus. Herimanus. Luduicus. Heitharicus. Herimannus. Godefridus. Godefridus. Alebrandus. Hartwig. Luthart. Bertold. Vbbo. Gerhardus. Wernere ceterique plures.

Lac I 402 nach dem Original im Düsseldorfer Staatsarchive. Doch hat derselbe eine Anzahl Zeugen weggelaßen, welche ich oben hinzugefügt habe. Ueber zweien der Zeugen steht ihr Familienname, nämlich über dem zweiten Sigefridus: V^{a}pike d. i. Vuspike, über Luduicus: de Bardensceide.

XXVII. Wilhelms Nachfolger Adolf (1160 – 1174?) soll ein Sohn des Grafen Adolfs II. von Berg gewesen sein, doch läßt sich kein urkundliches Zeugnis dafür beibringen. Er kommt unter den Zeugen in einer Urkunde Friedrichs I. vom 1. August 1167 vor. (Lac I 426).

135. 1165. Abt Adolf bestätigt eine Schenkung von 15 Schilling Renten, welche Gerbert Priester bei S. Clemens (am Born) zu Gunsten seiner Kirche gemacht hat.

In nomine domini Amen. Ego Adolphus dei gratia Werthinensis abbas. Notum sit vniuersis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, qualiter Gerbertus pie memorie presbiter de sancto Clemente sue Vdeque sororis ibidem ad sanctum Clementem incluse suorumque omnium saluti consulens, ut in eternis tabernaculis, cum in via deficerent, orationibus amicorum suffragantibus recipi mererentur, quindecim solidorum redditus iuste et rationabiliter sine cuiuslibet reclamatione emptos et conquisitos ad altare Sci Clementis super fontem pia donatione in perpetuum donauit. De hiis autem redditibus idem prememoratus presbiter Gerbertus consilio nostri et aliorum discretorum virorum sic ordinauit. Ad nocturnalia luminaria toto anno in eadem ecclesia sci Clementis habenda iij sol̄, mutata alia summa ad hec luminaria ordinata, que forte in alia quadam cartula repperiri potest. In anniuersarii sui nocte ad habendos cereos vnum in monasterio vnum in Velbrehte vnum ad scm Clementem vnum ad scm Nicolaum vnum ad scm Lucium vnum in Bredenoge et in tribus huius loci Ecclesiis ad candelas vigiliarum xij đ ordinauit. De reliquo in anniuersarii sui die sic fiat. fratribus monachis et canonicis, sacerdotibus omnibus in pane pulchro, ita ut tres torte eius quantitatis fiant, cuius iiij. qui denario emi solent, et in pisce et vino honeste seruiatur. Fratri missam defunctorum inter conuentum eo die celebranti denarius vnus tribuatur, cuilibet de tribus sacerdotibus hoc est ad scm Clementem ad scm Nicolaum ad scm Lucium denarius vnus, campanariis eorum singulis obulus, in choro pulsantibus denarius vnus, muliereulis de Monasterio denarius vnus, in turri pulsantibus ij, seruienti domus infirmorum obulus, cocis denarius vnus, ceruisiariis i, pistoribus i. Hanc talem huius seruicii amministra-

tionem pastor prefate Ecclesie Sti Clementis scilicet fideliter adimpleat, usus consilio fratrum suorum, hoc est eius qui est de sco Nicolao et eius qui est de sco Lucio. Prememorati itaque XV. solidorum redditus hiis in locis soluendi sunt. In Scoluon iij sol. In Hoitlare ij solidi et iij đ. In Vphusen iiij sol. In Megitwrth et in eius appendiciis iij sol. Juxta Eing in Wagenhem, in agris nullis edificiis instructis et ad hos pertinentibus ij sol et VIIII den. Ne tam vtilem et rationabilem huius facti ordinationem postmodum quis cassare et infringere temerarie presumat, ad confirmandum cartulam hanc nostro sigillo insignire curauimus. Huius rei testes sunt Anno Custos, Gerh. prepositus, Heribertus Capellanus. De clericis Burchardus Johannes Sybertus Volcmarus. De ministerialibus Wezzelinus aduocatus, Euerhardus camerarius, Godefridus pincerna, Alabrandus Justacius Sigefridus Heythanricus Alabrandus Monetarius et nepos eius Henricus. Vbbo cocus. Gerhardus Hugo et filius eius Gerhardus. Godefridus de foro. Rotcherus. Wernherus.

Facta sunt hec anno M. C. sexagesimo quinto ab incarnacione domini Indictione xiiij. Epactis vj. Concurrent. v. luna. xviiij.

pr fol. 17.

XXVIII. Abt Wolfram (1174—83) hielt sich, wie es scheint, mit Vorliebe in Helmstedt auf: dort stiftete er für sich 1176 ein Jahresgedächtnis, dort gründete er 1181 auf dem Marienberge ein Kloster für Augustinerinnen. Papst Alexander III. bestätigte ihm 1176 die bisherigen Privilegien, sowie das Recht die Pontifical-Insignien zu tragen. Noch bedeutender war die Bulle des Papstes Lucius von 1182, wodurch die zwei Abteien Werden und Helmstedt von der bischöflichen Jurisdiction eximiert wurden. Die Urkunde von Alexander laße ich hier folgen:

Alexander seruus seruorum dei dilecto filio Wulfrañ Werdinensi abbati salutem et apostolicam benedictionem. Votis et desideriis religiosorum, que rationi consonant, prompta uolumus benignitate annuere et ea pro nostri officii debito effectu prosequente complere. Hac itaque ratione inducti et ecclesie, cui preesse dinosceris, apostolice tuitionis presidium impertiri volentes eandem ecclesiam cum decimis et reliquis possessionibus suis, quas iuste possidet aut in futurum iustis modis deo propicio poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem Ecclesiam que Lothuß dicitur in Flandria sitam et Monasterium Helmestedun in Saxonia positum cum omnibus pertinencijs suis sicut ea canonice possidet auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patro-

cinio communimus, statuentes ut pontificalibus quibus hactenus vti consuevisti sicut in autenticis Ecclesie tue priuilegiis continetur libere possis vti. Priuilegia quoque a predecessoribus nostris ecclesie tue indulta et hactenus obseruata integra et illibata decernimus permanere. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Lateranī octo kal. Junij 1176.

pr fol. 40ᵃ.

136. Unter Wolfram wurde wahrscheinlich folgende Urkunde ausgestellt, da in ihr dessen Vorgänger Adolf als verstorben angegeben wird.

Walthard von Lüdinghausen, Ministerial der Abtei, schenkt einen Diener, den er als Lehen von derselben besaß, unter der Bedingung, daß er dem Altare des Gabriel als Wachszinsiger zugetheilt und dafür sein und seiner Gattin Imina Jahresgedächtnis begangen werde.

In nomine sanctæ et indiuiduæ trinitatis. Notum sit vniversitati Xpi fidelium tam presentium quam futurorum, Qualiter piæ memoriæ Walthardus de Ludenchusen, ministerialis scæ dei genitricis MARIÆ scique Liudgeri in Werthina, quendam famulum suum, quem in beneficii possessione ab abbate tenebat, Thidherum nomine, pro anima suæ redemptione Scæ memoriæ domno Adolfo pio abbati Werdinæ coram hominibus et prelatis ecclesiæ et comministerialibus suis, compromissione et concessione legitimorum heredum suorum, Hartliui scilicet et Liudberti, liberum a possessione beneficiali resignauit, eo interiacente pacto, ut domnus abbas pro anima illius uxorisque suæ Iminæ posterumque (so!) suorum super capellam suam ad altare beati Gabrielis iure cerecensuali illum condonaret. Cui rei domnus abbas benigne fauens, postquam ut prefatum est a Walthardo libere illum recepit, conpromissione et concessione heredum suorum, ut condictum ante fuit, super capellam suam in ius cerecensuale illum condonauit bannoque suo ad manus ecclesiæ illum firmauit. Ne quis uero in posterum tam ratam et salubrem traditionem uiolare quod absit presumat, hanc illi cartam subscriptis testibus communitam ad ius suum optinendum conscribi iussit et sigilli sui inpressione firmauit. Nomina uero testium hec sunt. Anno prior et custos. Heribertus prepositus. Wolframmus cappellanus. Folcmarus sacerdos. Godefridus sacerdos de Ludenchusen. Euerhardus sacerdos de Seleheim. Wicelinus

aduocatus. Alebrandus. Heinricus camerarius. Sigifridus. Justacius Hartleuus. Liudbertus cerecensuales. Godefridus de Barchoue. Euerhardus et Bertoldus fratres eius. Erenfridus. Gerhardus & quam plures alii.

(Siegel aufgedrückt aber abgefallen.)

Nach dem Original im Staatsarchiv zu Düsseldorf.

XXIX. Unter Heribert I. (1183—1196) entstanden die Streitigkeiten wegen der Kirche in Zele (siehe Traditiones Ersten Theil S. 15), welche der Bischof von Tournay 1183 der Abtei S. Bavo zu Gent geschenkt hatte (pr fol. 34b. f.). Als die Entscheidung, die Erzbischof Wilhelm von Rheims aufgetragen war, zu Gunsten Werdens ausfiel, verzichteten Abt, Prior und das Capitel von S. Bavo auf die Kirche zu Sela und die Capelle zu Grimberg (pr fol. 35a.).

137. 1184. Bischof Hermann von Münster beurkundet, daß der Zehnte in Schirenbeke dem Kloster gehöre.

In nomine Scæ et indiuidve trinitatis. Herimannus dei gratia sce Monasteriensis eccle epc. ij. vniuersis Christi fidelibus notum esse uolumus in perpetuum, quod quidam nobilis homo Rutholfus de Stenvurdhe querimoniam coram nobis in sinodo nostra proposuit, quod in decimis dotis eccle in Schirenbeke, quas a nobis in feodo se tenere asseruit, a domno abbate Werthinense sibi uim fieri sentiret. Cum uero causam diu actitatam sine legitimo decidi difficile esset, domnus Heribertus Werthinensis eccle venerabilis abbas presentiam suam nobis exhibuit, super hac causa iusticiæ stare et assertioni sue fidem facere paratus. Vnde predictus Rutholfus ratione conscientiæ sue inductus actioni sue penitus resignauit et prememorato abbati et eccle in Schirenb coram nobis et sacrosancta sinodo decimas dotis recognouit. Vnde quoniam auctoritatis nostre tenor expostulat uerum inuestigare inuestigatumque omnimodis corroborare, inde est, quod ex auctoritate apostolorum Petri et Pauli predictas decimas banno nostro confirmamus firmiter prohibentes, ne quis de cetero eas sine consensu abbatis et sacerdotis in Scirenb deo seruientis inuadere presumat. Huius rei testes sunt. Bernhardus maior prepositus. Bernhardus maior decanus. Vdo prepositus sci Pauli. Herimannus prepositus sci Mauricij. Franco uicedomnus. Thidricus summus Magister scolarum. Albertus. Magister Henricus. Thitmarus cantor. Hezzelo et Wezelo custodes. Domnus Herimannus Cappenbergensis abbas. Werinboldus abbas de Varlare. Erenwardus pps de Claholte. Nobiles et homines Godescalcus de Lon. Constantinus de . . ge. Godescalcus de Elen. Wiboldus de Hurstmere et alij quam plures. tam clerici quam laicj. nobiles et

ministeriales. quicumque huic sinodo nostre interfuerunt. — dnice incarnacionis. M°. C°. Lxxx°. iiij°. Indictione ij.

Nach dem Original im Staatsarchiv zu Düsseldorf.

138. Abt Heribert schenkt einen Mansus in Selschen, den der Prior Ludolf gekauft und zu seinem und seiner Mutter Jahresgedächtnis den Brüdern überlaßen hat, an die Kirche in Helmstedt.

